



Q. R. B. V.
DISPUTATIO FEUDALIS
DE
DISPOSITIONE
TESTAMENTARIA, ET
SUCCESSIONE DESCENDEN-
TIUM IN FEUDO.

Quam
PRÆSIDE
CASPARE HEINRICO HORNIO,
J.U.D. Pandectarum P.P. atq; Collegiorum
Juridicorum, quæ hic sunt, Adessore,

D. Jun. MDC. XCIV.

In Auditorio Actorum
publice defendet
CUNO FRIDRICH à Schirstedt,
Eqves Marchicus.

WITTEBERGÆ, Prelo Goderitschiano.

DISPUTATIO FEUDALIS

DE

DISPOSITIONE

TESTAMENTARIA ET

SUCCESSIONE DESCENDEN-

TUM IN FEUDO.

PRÆSIDIS

CASPARIS THEOPHILI HORNII

J. U. D. P. A. N. O. C. O. L. L. E. G. I. I. O. R. U. M.

Judicium, per hunc Adhuc

ANNO MDCCLXXIII

In Aulico Consistorio

publico

Carolo Friderico à Schultheide

Episcopi Martiani

WITTEBERGÆ, P. R. O. S. O. P. O. L. I. T. I. C. I. S.





7. N. D. N. 7.

Th. I.

Vasallus de Feudo in testamento, vel alia ultima voluntate disponere non potest. *I. F. 8. in fine princ. II. F. 9. §. donare.* ita, ut ne quidem pro anima (ex hypothesi scil. Ecclesiae Romanae) sive ad piam causam Feudum, aut partem, ne candem quidam, ut loquuntur, relinquere possit. *N. Reufner. L. 3. concl. 65. Niell. Disp. F. VI. Tb. 4.* Cujus rei vera ratio haec est, quod dispositione hac praerudicium Domino & illis, qui ex primâ investitura jus quaesitum habent, fieret: quod jus uti his auferri; ita Domino invito Vasallus alterius sanguinis obrudi nequit. Quam quidam rationem addunt, quod Feudum ad res alienas spectet, non adeo multum conferre videtur, siquidem Vasallus disponderet de dominio utili sibi competente; quo intuitu Feudum aliena res dici non potest, licet restricta sit Vasalli potestas: Dominio directo, quod respectu Vasalli alienum est, nihilominus salvò manente apud Dominum. Quod si verò quaestio sit de Feudo heredis ipsius, vel tertii, alia ratione institutio heredis in tali feudo inutilis est, quia scil. & jure communi in re alienâ heres institui nequit *L. 120. D. de V. S. L. 8. §. 3. de J. Codic, Eckold. tit. de hered. inst. §. 19.* Planè si consuetudo vel statutum admittant testandi facultatem de Feudis: in illis merito est subsistendum. *Dn. à Rbez. l. F. 7. p. 317. n. 28. Goedd. disp. VIII. tb. 7. Dn Stryk. dissertatio de Testam. Vasall. c. 5. §. 2.* ubi exempla allegantur.

II. Quod si Dominus in testamentariam vel aliam dispositionem mortis causa, sive ante sive post mortem Vasalli consentiret, valida illa erit quoad praerudicium Domini, non verò agnatorum in Feudo antiquo, nisi & ipsi consenserint. *Rosentb. c. 7. 4. 6. Dn Stryk. de Testam. Vasall. c. 3. §. 3. & seqq.* & quæ ibi citantur alii Doctores.

A

Utrum

Utrum verò, si præsentibus & tacentibus domino & agnatis testamen-
tum factum, tacitus quidam consensus & quidem sufficiens ad exclu-
dendum illorum jus elici possit? dubia quæstio est. Plerique favo-
rem ultimæ voluntatis hic respiciunt, atque adeo expressum consen-
sum, qui circa alienationem inter vivos requiritur. *II. F. 39. 26. §. Titius.*
I. F. 5. §. præterea. necessarium haud esse tradunt. *Vultej. c. 9. n. 82.*
cum in favorabilibus, quibus ultimas voluntates jus nostrum accenset,
tacens pro consentiente habeatur, quod axioma latè probat *Barbosa.*
Thef. 18. 1. 7. Probamus & nos hanc opinionem, & ego magis quidem,
quod intersit inter alienationem inter vivos & mortis causa: nam ibi
nullum in mora est periculum, cum tempus supersit contradicendi ju-
dicialiter alienatori; in testamento autem sæpius imminere vi-
deant testatoris mortem Feudi successores, itaque, si dissen-
sum vel coram ipso testatore, l. si hunc turbare nolint, coram aliis non
declarent, consensisse non possunt non videri. *Dissert. dicta de Vasalli*
Testam. c. 3. §. 6.

III. De Feudis hereditariis, quibus de supra actum fuit. *Exerc. 8.*
tb. 38. sine novo consensu Domini testari Vasallum posse, communis
est Dd. opinio: si modo certum sit, Feudum esse hereditarium, quâ in
re multum tribuendum esse arbitrio Judicis, jam supra dictum. *Conf.*
Struv. c. 9. tb. 12. dict. Dissert. de Vas. Testam. d. 1. §. 7. Utrum verò
foeminæ in Feudo tali institui possint? non convenit inter Doctores.
Probamus negantium opinionem, siquidem ea interpretatio, quæ na-
turæ rei conveniens est, arripienda; hæc autem alia esse non potest,
quàm ut in dubio credamus, Dominum de habilibus sensisse: *Conf.*
infra Tb. Hieron. Magonus dec. 54. Phil. Decius cons. 193. n. 3. Gail. 2. obs.
154. Schrad. p. 7. c. 2. n. 12. Planè si verba eam interpretationem ad-
mittant, ut & foeminas non exclusisse Dominum colligi queat, aliter
sine dubio quæstio est decidenda. *Ludov. Morotius Resp. 30. n. 1.* Atq;
adeò accuratè quid actum sit, & quænam mens fuerit contrahentium?
indagandum est.

IV. Quotiescunque vero facultas testandi de Feudo s. heredem
instituendi qualemcunque data est Vasallo, toties facultatem legandi
quoque concessam esse existimamus. *arg. L. 219. D. de V. S.* nec mora-
mur *Cujacium* dissentientem ad dictam Legem. *Conf. Tb. XIII.*

V. Si

V. Si Pater de Feudo novo consensu Domini testetur, filii id impedire non possunt; siquidem illud Jus, quod in Feudo habent, beneficio patris habent, illudque ex re patris est acquisitum. *Pruckner v. 1. C. 44. n. 5, 72. Rbez. I. V. III. p. 313.* Et hoc est, quod DD. in ore habent: Vasallus potest testari de Feudo probitate sua quaesito. *Decian. Vol. 4. n. 53.* In Feudo antiquo secus esse videtur, ubi filiis pacto majorum & providentia jam prospectum. Quia tamen filii in Feudum succedere volentes, heredes quoque simul necessario esse debent, non potest aliter dici, quam quod factum patris praestare, & dispositionem paternam agnoscere tenentur circa Feudum *II. F. 45.* Atque hinc si Pater Feudum inaequaliter dividat l. uni soli assignet, l. filiae l. extraneo etiam, patris huic voluntati, quos supersunt, filii acquiescere debent. *Un. à Rbez. I. F. 8. p. 312.* Quanquam eo in casu, ubi inaequaliter divisio facta inter filios l. uni filiorum Feudum assignatum nec Domini consensu opus videatur esse, cum Vasallus alterius sanguinis illi haud obtrudatur. Quod si verò filii cum patre simul investiti, atque sic non mediante sanguine paterno, sed ex propria persona jus habeant in Feudum, patris disposito liberis praedictio esse non potest. Et hoc est quod tradit *Vultejus L. 1. c. 9. n. 78. p. 488.* Caeterum si uni ex filiis l. filiae l. etiam extraneo Feudum assignatum, reliquis in subsidium legitimam ex Feudo praestari debere docent *Carpz. 3. 10. 9. Un. à Rbez. I. F. 8. n. 8. p. 313. Rosentb. c. 7. c. 13. qui n. 8. docet,* quomodo legitima hoc casu computanda.

VI. Vasallus filium in Feudo antiquo ex pacto & providentia, valide exheredare non potest, sive exheredatio expresse tam in Feudo quam Allodio facta, sive in genere tantum. Dum enim neutro horum casu heres patris fit, nec etiam parentis facta praestare debet. Neque causa ingratitude, (secus est, si quid commiserit, ob quod alias dignus sit Feudi privatione *Ros. c. 7. c. 10. p. 10.*) neque Domini consensus aliquid efficere, & jus à majoribus quaesito auferre possunt. Quod si vero in Allodio heres fit institutus, per consequentiam Feudum filio adimi posse jam thesi V. dictum est. Plane in Feudo hereditario absque Domini consensu exheredationem efficacem esse nullum est dubium. Sed & cum Domini consensu in Feudo novo idem obtinere multi sentiunt. *Schneid. c. 3. Struv. c. 1X. apb. 12. n. 8.*

A 2

VII. Quod

VII. Quod si itaque pater filium in Feudo antiquo iustas ob causas succedere nolit, Feudum consensu Senioris atque Agnatorum distrahat, reservata sibi habitatione & usufructu ad dies vitæ; quo facto filius Feudum alienatum revocare nequit, pater vero de pecunia ex Feudo redacta l. pretio Feudi licet nondum soluto libere disponit. *II. F. 26. §. si vas. Schrader 7. 2. 34 Conf. Dn. Mühlspfort. Cautela Feudali 1.*

VIII. Testamentum Vasalli, in quo instituitur is, qui alioquin successurus est in Feudo otiosum & inutile videtur; cum successor jure proprio Feudum nanciscatur. Sed forte in eo utilitas quædam latet, quod scriptus heres possessionem Feudi ex *L. f. C. de Edicto D. Hadriani tollendo* citius consequi possit. *Schrad. p. 7. 2. 18.*

IX. Cui potestas data Feudum pro lubitu alienandi, ultima voluntate quoque id facere potest. De qua re late agitur in *d. Dissert. de testam. Vasalli c. 3. §. 11. seqq. Ill. Dn. à Rbez. I. F. 8. p. 378.* In Marchionatu Superior. Lusatia vi privilegii Maximiliani II. de dato Pragæ den 9. Aug 1575. Vasallis licitum est: daß ein ieder mit seinem Gute frey zu thun und zu lassen vollkommene Macht un̄ Gewalt haben solle und möge. Ex quo concludit *Richter p. 1. dec. 21. n. 10.* facultatem etiam liberam testandi iisdem datam esse, quem sequitur *Dn. à Rbez. I. F. S. p. 316. n. 80.* Verum in ordinatione Feudali Sereniss. Elect. Sax. de anno 1656. §. *Wir erklären wir* etc. diserte ista clausula privilegii ad actus inter vivos restringitur, asseriturque illam ad ultimas voluntates non pertinere. Secundum quam declarationem sæpius in Collegio Wittebergensi responsum esse, recordamur.

X. De fructibus Feudi, quos ipse Vasallus percepit, it. de melioramentis Vasallum testari posse, nullum est dubium, quoniam Jure alodiali censentur *II. F. 28. Schrad. p. 7. c. 2. n. 214. 25.* Idem de fructibus ultimi anni dicendum est, in quantum nempe illi ad Vasalli heredes pertinent *II. F. 28. §. his consequenter.* qua de re infra dicemus. De naturalibus verò accessionibus *Sweder. de Melior. Feudi c. 4. Th. 1. & fructibus futuris ex Feudo ex pacto & providentia percipiendis testari, uti & usumfructum constituere in Feudo ultima voluntate nequit. Res. C. 4. M. 1. c. 10. n. 5.* Sed tamen filius patris dispositionem de fructibus Feudi futuris adimplere utique tenetur. *argum. II. F. 45. Carpz. lib.*

lib. 6. Resp. 15. Schrad. p. 7. c. 1. n. 11. 25. Ad quam sententiam Colleg. Wittenberg. respondit. vid. supra Exercit. X. Th. V. VI.

XI. De Feudo franco Vasallus testari non potest: remissio enim servitiorum non infert liberam disponendi facultatem Dn. Rbez. I F. 8. p. 319. Manz. de Test. val. & inval. T. 13. q. 5 n. 25. Dissert. nostra de Feudo franco Th. 19. Eadem ratio efficit, ut de Feudo censuali non posse testari Vasallum credamus cum Vultejo C. Marp. v. 4. c. XI. n. 92. Idem sentiendum est quoad negatam testandi facultatem de Feudo pignoratitio, de quo Exerc. 4. Th. 10. seqq. dictum. Quid juris in Feudo oppignorato dicto loco Th. 3. traditum est.

XII. Quando Feudum empritium à Domino est constitutum cum l. sine pacto de retrovendendo, de eo Vasallus testari non potest. Et eo minus quidem, quod Feudum illud pro proprio habendum esse supra Exerc. II. Th. 14. & IV. à nobis fuerit assertum. Manz. de Testam. valido & inval. q. 5. Tit. 13 n. 19. Quod si Vasallus ab alio Vasallo Feudum cum consensu Domini emerit sub pacto retrovenditionis, nec tum licitum erit Vasallo novo, ad quem dominium utile per investituram revera transit, sine Domini consensu de eo testari; neque enim ipse jus suum s. dominium utile in alium transferre sine Domini consensu potest. Id autem facile largimur posse Vasallum de pretio Feudi, in casum si redimatur, relinquere dispositionem.

XIII. Legato Feudo l. per fideicommissum singulare relicto, sive alieno sive Vasalli testatoris proprio, æstimatio debetur ab hærede allodiali præstanda, si redimi & præstari nequeat. Rationes hujus asserti legi possunt apud Eckolt. Tit. de Legatis §. 10. Ludw. Synops. c. 4. Brun. ad L. 34 ff. de Leg. qui Autores & dissentientium argumentis satisfaciunt. Cæterum si Feudum alienum relicto, legatum eatenus validum est, quatenus alias rei alienæ legatum l. fideicommissum efficacia sua constat. §. 4. seqq. 7. de Leg. ubi DD.

XIV. Vasallus de Feudalibus & Allodialibus testamentum si condat, quoad Allodialia validum est, licet quoad Feudalia nullius sit valoris. C. utile 37. de R. J. in 6to L. 9. §. 1 Berlich. p. 1. Decis. 39.

XV. Accedimus illis, qui Feudum sub generali fideicommissio contineri negant. Rosentb. c. 7. concl. 11. n. 2. sicuti & alias generalis dispositio Feuda non comprehendit. n. F. 26. §. in genere. Garfias Masrill.

L. 1. D. 86. Prunner v. 1. c. 32. n. 28. Atque hinc Feuda non veniunt in quartam superstiti conjugii debitam *ex Auth. Præterea C. unde Vir & Uxor, ubi Bald. II. F. 8. §. quamvis. Vincent. de Franch. Dec. 318. n. 2.* nec ex illis portio statutaria debetur *Carpzov. P. 3. C. 20. d. 20.* Excipiunt Feudum hereditarium, & illud de qua libera alienandi facultas data. *Menoch. c. 519. n. 25.* Sed hic quam maxime indagandum est, quæ mens fuerit disponentis, utrum sc. ad Feuda ejusmodi pertinere voluerit, nec ne dispositionem.

XVI. Dominus dominium suum directum titulo allodiali quidem habet. quia tamen illud invito Vasallo alienare nequit *II. F. 55. §. præterea Ducatus.* recte inde colligunt DD. nec sine consensu Vasalli Jus suum in alium per ultimam voluntatem posse transferre.

XVII. Cum jure feudali, quoad formam testamenti nihil peculiare sit constitutum, Vasallus quatenus de Feudo testari licet, secundum jus commune ultimam voluntatem declarare debet. *arg. II. F. 1.* Circa quod obiter notamus Nobilem Vasallum, vel in celsiori dignitate constitutum e. g. Comitem & Principem coram suo judicio recte constituto l. Consiliariis posse testari & insinuare testamentum *L. 2. pr. ff. de Offic. Pro-Cons. l. 3. 4. ff. de Adopt. L. 5. ff. de manum. vind. Carpz. p. 3. C. 3. d. 14. Berl. p. 3. c. 4. n. 33. Mev. ad q. 1. Lab. p. 2. t. 1. a. 2. n. 11.*

XVIII. Nullum dubium apud nos est, illa quæ hæcenus dicta, ad Feuda Imperii applicari posse, nisi in quantum contrarium jus queat doceri. Equidem *Dn. Iterus de F. J. C. 16. Tb. 7.* Principibus Imperii condendorum testamentorum de Feudalibus quoque bonis laxiorem facultatem adscribit; sed ad conniventiam & permissionem Imperatoris id refert. Quod uti facile admittimus; ita regula generalis inde confici nequit. Cæterum de eo inter Juris publici Doctores acerrima lis est: utrum Principes Imperii, si testamenta condant, solennitates Jure Civili & Constitutione Maxiliani I. de Notariis præscriptas debeant observare? Sunt qui negant; sunt qui affirmant. Utrorumque rationes congestit *Illustr. Dn. Eyben pecul. Dissert. de Testam. Princip. & Comit. Imperii.* Nos affirmantium rationes putamus esse potiores, & ideo quidem; quoniam Constitutiones Imperii intuitu singulorum Principum Imperii pro Legibus habentur, hosque obligant, nisi quædam exceptio probari possit *Dn. à Rbez. Inst. J. P. 1. 1. 34. Vitriar.*

4. 1. 103. *Maurit. de R. J. Tb. 30. seqq.* illique citra respectum ad territoria in relatione ad Imperatorem & Imperium, vel ad alias Con-Statu pro privatis habentur. *Hugo de Statu Regim. German. c. 6. §. 8. Dn. Strykius Dissert. Preliminar. ad usum modernum D. §. 40. & seqq.* Ut nihil dicamus de praxi, quæ pro hac sententia militat. *Rosentb. de F. c. 12. 9. & 10. n. 14. Merckelbach apud Klock. Tom. 3. const. 107. n. 72. Dn. Fritsch. ad Limn. 4. 8. 178.* Quibus positis illa, quæ ex *L. penult. C. de Donat. inter virum & uxor. L. 3. ff. de Adopt. L. 3. & 19. C. de Testam.* huc afferuntur, præsentî negotio applicari nequeunt. Notum est, omnia quæ in jure civili de Imperatore habentur, ad Ordines & Status Imperii ab Interpretibus nostris hodie trahi. Quod uti tunc admittimus facile, si de Juribus Principum & Ordinum in territoriis quibus præsentî sit quæstio; nisi forte præsentî rerum status & facies applicationem impediât: ita persuasum nobis habemus, si Principes & Status singuli ad Imperatorem & Imperium vel se invicem referantur, sententiæ istorum Doctorum non esse subscribendum. Cæterum illam affirmantium opinionem Collegium Juridicum Wittenbergen- se super hac quæstione consultum non dubitavit probare M. Aprilis A. 1693. Plane iis in casibus, ubi solennitatibus alias non opus e.g. in testamento inter liberos &c. omissionem & defectum illorum nec Principum vitare Testamentum, dubio caret.

XIX. Jure civili nemo invitus in communiione vivere tenetur, ita, ut secundum Interpretum plurimorum sententiam, nec pactum, licet juramento firmatum, nec præscriptio immemorialis, nec sententia arbitri, cui stare promissum est, nec defuncti dispositio divisionem impedire possint. *L. 26. §. 4. de condi&. indebiti L. 14. §. 2. ubi Gloss. D. Commun. dividund, L. 26 ff. de Serv urb. prædior. L. f. C. commun. divid. L. 2. C. de communi rerum alienatione. Felicius de societ. c. 20. n. 34. Alexander Vol. 6. Col. 48. Schurf. cent. 2. conf. 37.* Iraque quæritur: si Patet testamento injungat filiis, ut in perpetua communiione Feudi maneat, utrum hæc dispositio rata esse possit? Quod ex principiis Juris communis utique negandum est, quod ipsum quoque ad Feuda Regalia extendit *Wesemb. vol. 6. conf. 152.* cum aliis quos in partes vocat. Quamvis per modum consilii svadeat cum *Alexandro conf. 18. vol. 2. n. 3. 4.* ut pro decore & conservatione inclytarum domuum non procedant

dant ad divisionem, si ordinatio majorum adsit, quæ ut fervetur etiam, cum jus non cogit, pudore heredum & reverentia continetur. Nos arbitramur defendere quem posse, voluntatem parentum necessitatem inferre, si ob conservationem Familiæ illustris perpetua communio placuit disponenti, resque commodam divisionem non capiat, vel hæc cum magnis malis sit conjuncta. *Vincent. Fusar. de Fideicom. substit. qu. 707. n. 4. Peregr. de Fideic. n. 80. Mev. p. q. dec. 157. n. 4.* aut dispositio paterna à Principe, qui legi illi positivæ de perpetua communione vim adimere potest, confirmata, *Menoch. cons. 102. n. 72. cons. 607. n. 33. Decius cons. 390. n. 13.* Ad quam sententiam Collegium Wittenberse respondit. M. Jan. 1692. Quæ de testamento dicta ad pacta quoque applicari facile poterunt.

XX. Si Filius in legitima tantum institutus, quæritur an Feudum in legitimam imputare debeat? Ad quam quæstionem negativè respondendum esse existimamus: quoniam Feudum ex providentia majorum filio debetur, atque sic æri alieno simile, quod ante omnia ex bonis deducendum est: nec etiam legitima nisi deducto ære alieno debetur. *L. 8. §. 9. de inoff. Testam. L. F. C. de Coll. Rosentb. c. 7. concl. 13.* Quæ tamen assertio limitatur quoad Feuda mere hereditaria. *Hartm. Pistor. p. 2. qu. 38. n. 5.* It. in Feudis, ubi foeminae succedunt unà cum masculis. *Rosentb. d. l. n. 31.* Communiter etiam limitationem addunt, quoad Feudum novum, de qua tamen variae extant Interpretum sententiæ, quas recenset *Rosenthal. d. l.* Videtur vero cum illis esse faciendum, qui istam limitationem ad eum casum restringunt, si pater Feudum emerit, vel alio acquisiverit titulo oneroso, vel bona allodialia in Feudum obtulerit: hacce enim ratione quodammodo dici potest, rem à Patre esse profectam. arg. *L. 30. §. 2. C. de inoff. Testam. Hartm. Pistor. d. l. n. 5.* Coeterum si expressa adsit patris voluntas, quæ imputationem Feudi in legitimam exigat: nulli dubitamus, quin & tunc regula à nobis asserta officium perdat, filiusque satisfacere teneatur paternæ dispositioni. *a. II. F. 45.*

XXI. Successionem aliam esse legitimam, aliam testamentariam in vulgus notum est: quibus moribus hodiernis tertium genus ejus scilicet quæ secundum pacta fit, accedit. De quâ, in quantum ad Feuda pertinet, sequenti Exercitatione data nobis occasione quædam dictu-
ri

ri sumus. De testamentaria haecenus fuit actum, assertumque nullam illam vim, nisi solis quibusdam exceptis casibus, exserere in Feudis. Plus vero sibi vindicat legitima, qua Feuda devolvi, seu transmitti quam plurimi textus Juris Longobardici evincunt. Enimvero non una semper ratio fuit hujus successionis: siquidem antiquissimo tempore Feuda precaria erant, ita ut Domini ea, quodocunque vellent, revocare, & auferre possent. Post annalia fuere; mox vero ad Vassalli vitam producta. Deinde filiis relicta, & quidem primò uni tantum, quem eligebat Dominus; successu verò temporis omnibus æqualiter. Post hæc invaluit, ut etiam ad nepotes ex filio devolverentur: imo ab uno etiam filiò, ex quo nepos non adesset, ad alium, sic à fratre ad fratrem. Quæ collateralium successio paulò latius, non tamen ultra fratres patruales progressum fecit. Sed hic non subistere Longobardorum placita. Omnes enim deinceps à primo acqvirente sanguinem ducentes ad successionem defuncti possessoris, sive hujus descendentes sive collaterales essent, salva tamen lineæ gradusque prærogativa ad septimum usque gradum, quin & novissimo jure in infinitum usque sunt vocati. Quam historiam hujus Juris Feudista nobis exponit *I. F. i. §. antiquissimo.*

XXII. Successionis ab intestato Jus maximam partem præsumta defuncti voluntate niti, ab aliis passim, & recte quidem traditur; eruditèque explicatur à *Grotio L. 2. de I. B. & P. c. 7. §. 3. seqq. & Baclero ib.* Hæc ipsa præsumta voluntas in Feudali Successione quoque sibi locum vindicat, sed cum hoc discrimine, quod hic non semper ad præsumtam voluntatem defuncti, cui succeditur, sed ad voluntatem præsumtam, tacitam, vel expressam primi acqvirentis, & nec hujus solum, verum etiam Domini Feudalis sit respiciendum. Id quod sequentia passim declarabunt.

XXIII. Mortuo ergo Vasallo prima causa est illorum, qui ab eo descendunt, & quidem proxime. *II. F. 23 26. 31. Lehnr. 4. 5.* Si modo habiles sint, & ad servitia idonei. Siquidem qui jure feudali inhabiles habentur, à successionem sunt exclusi, licet novum Feudum acqvirere possint. Cujus rei rationem jam supra dedimus *Exerc. II. Q. 21.* Inter inhabiles autem primò referuntur *Femina II. F. 36.* Varias allegant Doctores nostri hujus rei causas: vera tamen atque solida

B

lida

lida illa est, quod ad militiam idoneæ haud sint, illi non assuescant, & sic servire nequeant. *D. d. c. 36.* Atque licet hæc ratio in singulari interdum cesset, in communi tamen semper militat, atque adeo nunquam facit cessare dispositionem Juris Feudalis. *arg. l. 3. §. 3. D. de minor.* Quamvis autem hæc, quam allegavimus, ratio in masculis ex foemina natis non inveniatur locum, aliam tamen ob causam admitti nec hi possunt: quoniam nempe mater non plus juris in filios transferre potest, quam ipsa habuit. *argum. L. 175. §. 1. D. de R. 7. §. 17. Inst. de legit. agnat. success. I. F. 1. §. 3. II. F. 11. vers. ad filias verò.* Atque hoc est, quod *Dd.* dicunt; infecta radice, omne infectum est, quod ex illa descendit *L. 3. C. de bon. matern. Carpz p. 3. const. 28. def. 9. n. 12.* Ut taceamus, Feuda familiæ causa concedi sæpius solere, quam cum foemina mutet. *L. 95. D. de V. S. beneficio in gratiam Familiæ concessio frui nequit. Færster de success. Lib. 4 c. 23 n. 48.*

XXIV. In Feudo foeminino h. e. à foemina primum acquisito, vel in eo Feudo, quod masculus acquisivit, cum pacto ut foeminæ succedant, de quorum utroque *Exercit. IV. rb. 3 & 4.* actum, Foeminæ quidem admittuntur, sed tantum deficientibus masculis. *II. F. 30.* nisi in specie id actum, ut filia simul cum masculis, vel sicut masculi succedant. *Hartm. Pist. p. 2. qv. 35. Carpz. p. 3. 28. 13. 14. lib. 6. Resp. 72.* Quod si verò hoc solum actum, ut foeminæ cum masculis, vel masculi & foeminæ, filii & filia succedant, in regula subsistendum est, sequiorem sc. sexum non nisi deficiente masculino admitti *I. F. 6.* ibi, *ulterius foemina h. e. ultra masculum, præter masculum, vel ante masculum, vel non simul & c. II. F. 8. §. filia.* Imo si Feudum pro filiis & filiabus concessum, ad nepotes vel neptes ex filiabus non devolvitur, sed cum filiabus exspirat. *Dn. Strykius de Succ. ab intest. 1. 3. 3. Struv. c. 9. a. 8. n. 15.* Cautus ergo ille sit, qui posteris ex filiabus prospicere vult, curetque, ut quam plenissimè literæ Investituræ conscribantur.

XXV. Si Feudum pro masculis & foeminis concessum, atque in prima linea foemina tantum superstes, an excludat masculum in secunda linea? quæri solet. Affirmant hoc nonnulli ob textum *II. F. 50. Peregrin. de Fideic. art. 27. n. 14.* Admitti hæc sententia potest in illis Feudis, in quibus jus primogenituræ introductum, quod ex linea, quam semel intravit, non exit, sed omnes aliarum linearum & ordinum suc-

ces

cessiones, quamdiu aliquis ex linea primogenita superest, suspendit. Sed in aliis Feudis, ubi jus primogenituræ introductum non est, sententia hæc est dubia, ob regulam ex *I. F. 17.* traditam. Nec movet *Capit. 2. F. 50.* ubi habetur, quod successio Feudi ad solos & omnes pertineat, qui in eadem linea sunt. Nam illud commodè de iis intelligi potest, qui ad servitia sunt habiles. *Hartm. Pist. p. 2. Qu. 35. n. 18. & 20. Struv. Cap. 9. apb 8. & 9.*

XXVI. Finge Titium reliquisse materteram, atque ad hanc, cum masculus non adsit, Feudum devolutum. Postea ex sorore defuncti filius nascitur, quæritur; an foemina, cui Feudum semel acquisitum, eò cedere cogatur? Respondemus negando, cum tempus successionis spectandum sit. *II. F. 17. 51. § similiter.* jusque perfectè quæsitum auferri nequeat. *Hartm. Pistor. qu. 35. n. 8.* Quod in tantum verum putamus, ut si foemina, quæ ad Feudum admissa, filios relinquat, illi potius quam ex alio nati masculi liberi, & nostro casu sororis filii succedant. Nec obstat illi nostro asserto, quod res devenerit in casum, à quo incipere non potest. Respondet *Dn. Lyncker in Analectis 9. 8. 8.* Contrariam sententiam probat *A. de Ifernica & Jacob de S. Georgio,* tanquam, ut hic loquitur, in secreto Juris veriore, licet nostram communem esse fateatur. Interim hæc non eò pertinent, si defunctus Vasallus possessor, vel etiam alius in investitura comprehensus uxorem tempore devolutionis prægnantem reliquisset, & ex ea deinde masculus nasceretur. Quia enim posthumus hic pro nato habetur *L. 7. ff. de statu hominum,* foemina quæ Feudum occupavit, illi, postquam in lucem editus est, restituere id teneretur. *Struv. 9. 8. 8. ibiq; Dn. Lyncker. Hartm. Pist. p. 2. qu. 35. n. 2. Mauric. Decade 9. Th. 8.*

XXVII. Utrum foemina per existentiam masculi semel exclusa, perpetuo exclusa maneat, acerrimè digladiantur Doctores. *Carpzovius Andream de Ifernica, Matthæum de Assis, Janum de Arcedum* secutus affirmativam defendit. *Disb. 5. 8. 57.* sed & idem *Martini Landensis, Jacobi de Belviso, Ardizonis, Sonsbecki,* aliorumque negativam magno conatu *part. 3. Const. 28. def. 15.* propugnat, atque tantis argumentis & rationibus eam niti asserit, ut qui relictis hisce frugibus glandibus vesci malit, vix inter prudentes locum tueri suum possit. Hanc sententiam & nos veriore putamus, cujus rationes cum passim legantur,

tur, in recensendis iis nolimus esse prolixi. Conf. *Struv. 9. 8. 6. ibiq;*
Dn. Lynker. Dn. Stryk. de Success. ab intest. 1. 3. 4. Plane eam ulu Fori
receptam esse, satis constat.

XXVIII. In Feudo mere hereditario foeminas succedere pleriq;
Doctorum tradere solent. *Schrader. p. 7. c. 3. n. 1. Rosentb. c. 7. concl. 41.*
n. 23. Dissentit *Carpzovius p. 3. 28. def. 11.* nec sine ratione. Etsi enim
Feudum hæreditarium quoad successionem Allodialium jure cense-
tur: illud tamen ad ea, quæ Domini personam magis respiciunt, quam
ipsam successionem, haud temere est extendendum. Quia ergo
Dominus Feudum dedit, ut servitia à Vasallo sibi præstentur, hocque
nec in Feudo hereditario aliter se habet, cujus ratione utique Vasal-
lus servitiis obnoxius est, credibile est, de nullis aliis successori-
bus, quàm de habilibus Dominum cogitasse. Nisi ergo verborum
nexus is adsit in beneficiariis tabulis, qui ad foeminas quoque trahi
possit, existimamus arcendas esse à successionem. Quod si verò vel ex
communi opinione, vel ex literis Investituræ admittendæ foeminae
sint; fatentur tamen & dissentientes à nobis, id demum verum esse,
si masculi deficient. *Bocerus de Succ. in Feud. c. 3. qu. 40. Dn. Stryk. de*
succ. ab intest. diss. 1. c. 3. 8. 6.

XXXIX. Alia ratio est Feudi Franci, in quo cum ratio cesseret, ob quã
Foeminae à successionem Feudi arcentur, prona consequentia fluit, admit-
tendas esse. Qua de re latius actum est in *Dissert. nostra de Feud.*
Franco tb. 26. Atque ista sententia in tantum vera est, ut foemina
cum masculo simul admittatur, cum impedimentum, foeminae obtans,
hic exulet. *II. F. 104. pr.* Qui huic sententiæ opponitur §. *item si quis*
primus d. l. aliam plane speciem continet.

XXX. Dantur Feuda, quæ dicuntur juris Francorum, sive in quæ
successio fit, secundum mores Francorum, in quibus primogenitum
tantum ad successionem admitti, foeminas tamen non excludi, volunt
Doctores. vid. *Timq. Tract. de primog. Thom. de Marin. de genere &*
qual. Feud. t. 13. Rosentb. c. 7. c. 15. Ejusmodi Feuda non tantum in
Ducatu Juliae & Cliviae dari, sed & ipsos Ducatus id generis Feuda
esse probare conatur *Autor Assert. Brandenburg. Fundam. 1. p. 1. seqq.*
Quorsum etiam collineat *Disp. sub illustri Dn. Rbetio habita Efurti de*
Feud. Clivens. Cui tamen asserto constanter à Saxonis strenueque

con-

contradictum est. vid. *Deduct. Saxon. de anno 1654. in Resp. ad Object. 6. Franzk. lib. 3. Resol. 1.* Plane ubi consuetudine successio fœminæ in Feudis vel statutis est introducta, merito secundum illam jus est dicendum. *Vultej. 1. 9. 28. Wurmserus de F. improp. cl. 3. serv. 2.* Quid extra hosce casus filia ex Feudo capiat, infra dicemus.

XXXI. De fructibus nondum perceptis, industrialibus, & naturalibus illius anni, quo decessit Vasallus, ita jure Feudali Longobardico est constitutum, ut si post Kalendas Martii decesserit Vasallus, illi ad heredes allodiales pertineant. *II. F. 28. §. bis consequenter. II. F. 86.* Scilicet sciendum est, computationem anni ita esse iniendam, ut à Kalendis Septembris incipiat, & ultimo Augusti sive pridie Kalendas Septembris finiatur. Si igitur Vasallus intra Kalendas Septembris & Kalendas Martii moritur, fructus nondum percepti, sive industriales sive naturales ad successores feudales pertinent, & ideo quidem, quoniam sunt partes fundi. *argum. §. 36. Instit. de rerum divis. L. 44. D. de R. V.* licet impenias heredibus allodialibus restituere teneantur. *argum. II. F. 28. §. si Vasallus. Hartm. Pist. p. 1. qv. 24. n. 72.* Si verò post Kalendas Martii vita fungatur, fructus pendentes ad heredes allodiales spectant: quia defunctus jam ultra dimidium anni supervixit, & ad tempus fructuum percipiendorum propius accessit. Quæ ratio eo magis plausibilis videtur, si ad Italiam oculos vertamus, in cujus solo jus feudale natum, atque citius ac alibi semina in terram projici, & fructus sati jam pululascere solent, ipsæque vindemiæ in mensem Augusti incidunt. *L. 2. C. de Feris.* Vapulat hæc decisio variè apud Interpretes, ut videre est apud *Birsch. II. F. 28. §. bis consequenter.* multique sunt, qui in foro nullum ejus esse usum, sed potius fructus pro ratione temporis inter Vasalli successores Feudales & allodiales dividendos esse, arbitrantur, *Schulzius in Synops. de rer. divis. lit. N. N.* Contrarium verò testantur *Rosenth. 10. 42. n. 36. Pist. d. l. n. 49.* Ita tamen, ut fructus vinearum, quoniam vindemia tardius in Germania contingit, Vasalli allodialibus heredibus addicantur, etiam si post Augustum decesserit Vasallus. *Pistoris d. l. n. 49. Gudeling. p. 5. c. 5. n. 5.* Cæterum placitum illud Longobardicum, sicuti & ad pensiones, quæ ex fundo conducto fructuum nomine præstantur, pertinet. *Pistor. d. l. qv. 25.* ita, ad fructus alias civiles trahi non potest, ratione quo-

rūm decisio ex jure communi petenda, ita nempe, ut si dies venerit, vivo Vasallo heredibus Allodialibus solis debeantur; si vero post mortem Vasalli pro rata temporis inter successores allodial. & feudales sint dividendi. *argum. L. 7. solut. matrim. L. 26. C. de usufr. 58. Pist. lib. 1. qv. 24. n. 6. Struv. 15. 16. Quid jure Saxonico obtineat ex lib. 2. art. 58. 67. Landst. & Constit. 32. p. 3. ubi Carpz. petendum est.*

XXXII. Non tantum foeminae pro inhabilibus habentur, verum etiam inter masculos inhabiles reperiuntur, vel natura, vel lege, vel conventionem. De ultimo genere actum *Ex. VI. Th. 1. seqq.* Ad prius genus pertinent, qui ob defectum animi vel corporis ad servitia praestanda minus sunt apti, quales sunt furiosi, mente capti, muti, surdi, caeci &c. *II. F. 36.* In quo textu licet duae contrariae sententiae recensentur, ultima tamen, quia rationem continet Juris feudalis analogiae maximè congruam, meritò probanda arripiendaque est. Illa ipsa ratio, cum consistat in defectu aptitudinis ad servitia, non malè decisio ad illos trahenda quoque est, qui non nati tales sunt, sed post natiuitatem simile vitium contraxere. *Carpz. p. 2. Const. 28. d. 6. Ludwell. Tract. feud. p. 171.* Aequitas tamen postulat, ut alimenta in subsidium inhabili à successionem ex Feudo praestentur. *I. F. 6. §. 2.* qui textus, licet de Feudo magno loquatur, sententia tamen ejus ad alia quoque Feuda ob identitatem rationis extendi potest. Quà in re Judicis arbitrium curare debet, ne ob onus alimentorum Vasallus possessor ad servitia ineptus reddatur. *Carpz. dec. 173. 174.*

XXXIII. Quemadmodum casus fortuitus jus perfectè quæsitum nemini aufert, ita etiam non est Feudo privandus, qui postquam justè quæsivit, inhabilis est factus. *I. F. 21. L. 1. n. 4. Hartm. Pistor. p. 2. qv. 292. 32. n. 4. Carpz. P. 3. C. 28. d. 8.* Neque etiam est, quod verba *retinere non posse*, quae *I. F. 6. II. F. 36.* habentur, aliud nobis persuadeant: siquidem & illa ad casum, ubi defectus jam ante devolutionem contigit, commodè trahi, atque ad primam investituram conferri possunt, hoc sensu, scilicet ut inhabilis, jus Feudi ex prima investitura descendens retinere non possit. *Conf. Dn. à Rbez. ad d. §. 3. 176. p. 187. 341.* Cæterum quoties nulla servitia ex Feudo praestanda, toties inhabilem succedere posse, nullum est dubium. *Schrad. p. 7. c. 5. n. 32.* nec ambigendum est, Dominum inhabili gratiam facere, & tum Feudum noviter ipsi

ipsi concedere, tum etiam ad successionem Feudi antiqui, si nulli ad-
sint agnati vel simultanee investiti, admittere illam posse. *a. l. pen. C. de
pact. Schmid. IV. 3. 7.*

XXXIV. Si pater imperfectus & vitio laborat, non nocet id fi-
liis, ad quos Feudum devolvitur. Quod si verò antequam filii nati,
Feudum ad Agnatos semel sit devolutum, jus hisce perfectè acquisi-
tum in gratiam postea natorum iterum auferri nequit. *Michalor de
caeco, muto & surdo. c. 66. n. 18.*

XXXV. Si filii sint inhabili, vel agnati, vel simultanee investiti,
quæritur utrum in præjudicium horum Dominus gratiam facere pos-
sit? Quod post *Afflictum* recte negat *H. Pist. L. 2. 9. 32. n. 13.* & ideo qui-
dem, quoniam tempus delationis spectandum *II. F. 57. II. F. 51.* hoc ve-
ro tempore inhabilis qui est, pro mortuo habetur. Quò posito per
mortem ultimi possessoris successoribus aliis Feudalibus jus statim est
quæsitum, Feudumque ad ipsos jam est delatum: quod facto Domini
auferri nequit. Ad hanc sententiam respondit Collegium Witte-
bergense Fratribus à Z. & K. M. Jun 1693.

XXXVI. De Hermaphrodito quærent Doctores: utrum habilis
sit ad Feudi successionem? Nos eousque habilem existimamus, quo-
usque pro masculino habetur, id quod Doctores *ad L. 10. de statu hom. &
alibi passim* explicant.

XXXVII. Lege inhabiles sunt Clerici, qui cum milites sint Chri-
sti, non debent milites esse seculi *II. F. 21.* atque adeo, ad Feudi succes-
sionem non admittuntur, licet maximè per substitutum servire velint.
Busch. II. F. 30. §. ex hoc. Imo Feudo jam acquisito privatur, qui Cle-
ricus vel Monachus factus, cum sic non casu fiat inhabilis, sed seipsum
talem reddat. Etsi autem per ingressum in Monasterium Monachus
dominium omnium rerum suarum amittat, idque in monasterium
transferat. *Nov. 5. c. 5. Arb. ingressi. C. de SS. Eccles.* Feudum tamen
eò non pertinet, sed ad Dominum vel agnatos devolvitur. *II. F. 2. 30.
§. ex hoc. ibiq. Busch.* Cæterum ista clericorum exclusio limitari
solet, quoad religiosos Equites Ordinis Teutonici, Melitenses, it.
ratione Feudorum, ubi vel plane nulla servitia, vel ea præstanda, quæ
à Clerico commodè præstari possunt. *Hartm. Pistor. qu. 33. n. 22. Ludw.
p. 203.* Jus Saxonicum commune regulam Longobardici juris se-
quitur

quatur. *art. 2. Lehnd. ibi Pfaffen und Frauen re. lib. 1. art. 25. Zobel. p. 3. diff. 22. pr. Carpz. p. 3. C. 28. d. 1.* In Electoratu tamen Saxonie mitius cum Clericis agitur, habenturque pro capacibus successionis atque possessionis Feudorum, pro quibus servitia per substitutum exhibere possunt: modò non sint Monachi. *Const. 28. part. 3. ubi Carpz.* Idem in universa Germania receptum esse usu, testantur illi, quos in partes vocat. *Maurit. D. 9. Tb. II. Rosentb. c. 7. C. 29. n. 9.* quam praxin Jus Feudale Livonicum quoque probat. *Maur. d. 1.*

XXXVIII. Si plures unius gradus filii adsint, omnes æqualiter succedunt atque Feudum dividunt, nec indigent novò Domini consensu, Regalibus tamen feudis exceptis. *II. F. 55. §. praterea.* Jure Saxonico Dominus Feudi unum saltem ex liberis de Feudo defuncti Patris investire tenetur, ita tamen, ut cæteris postea nihilominus ab investito fratre satisfiat, *Landd. Lib. 1. art. Lehnd. art. 29.* Quid verò usu servetur, legi potest apud *Schulz. lib. 3. de primo ordine success. p. 197.* Utrum in Feudis Imperii nostri antiquitus divisio admilla fuerit inter Goldastum & Engelbrechtum disputatio orta est, cujus summam exhibet *Dn. Iter. de F. 7. c. 13. §. 9.* Quicquid tamen illius sit, hodie usu Juris publici Regalia Feudi dividi posse, & actu sæpius divisa esse, quis ignorat? Sed tantum quoque abest, ut Lege improbentur, aut moribus hæ divisiones, ut potius, si qua fortasse familia jus primogenituræ recipere velit, consensu opus sit Imperatoris. *Iter. d. l. c. 12. §. 11. 12. c. 13. §. 9. Struv. Obs. Feud. c. 9. 1.* Plane Electoratus divisionem non admittere ex *A. B. 4. 25.* satis certum est.

XXXIX. Divisio Feudorum Regalium in Germania non fit uno modo, nec lege aliqua universali definita est, sed secundum pacta familiæ, vel dividendum placita suscipitur. Neque etiam quod uni Familiæ placuit, aliis legis instar esse potest. *Dn. à Seckendorf Fürstent. Staat. c. 3. n. 3.* Ubi primogenitura est recepta, ultragenitis certa portio pro dignitate & conditione Familiæ assignatur, vel in numerata pecunia, l. in redditibus certorum prædiorum. Quæ portio Apanagium dici solet. Fit interdum ut certa portio ipsius Feudi Regalis, Præfecturæ scil. quædam secundo genitis assignetur; ubi quidem in dubio nec Jurisdictio, nec Regalia, multò minus ipsa Superioritas territorialis concessa censetur, sed tantum jus capiendi redditus. Potest tamen

tamen fieri, ut & Regalia quædam & particula Superioritatis in illos transeat ex pacto. Quo quidem casu studiosè indagandum est, quid actum sit inter paciscentes. Atque adeo controversiæ, quæ hac de re hodiè in quibusdam Familiis magno conatu agitantur, quæstionibus magis facti, quàm Juris absolventur. Quorum illa cum privati homines & in umbra scholæ latitantes rarò penitus habeant perspecta: facile apparet, quam ridiculum sit, si his de litibus judicium facere se posse arbitrantur. Cæterum Appanagiati titulum, & insignia ob jus futuræ successionis retinent, iis tamen exceptis, quæ personalissimam dignitatem respiciunt, aut capiti Familiæ soli sunt propria. *Springinsfeld de Appanagio. Iter. de F. J. c. 13. Myl. de Princ. Imp. c. 22. num. 3. Dn. Lycker Dissert. de Superior. territor. pag. 60.*

XL. Si Filius unus ante adeptum Feudum, alter postea natus, ille pro primogenito est habendus. *argum. L. 5. D. de Senat.* Quandoquidem tempus mortis in successione inspiciendum est, non tempus dignitatis vel qualitatis acquisitæ; quæ & ipsa liberis antea natis communicatur: cum credibile non sit, illos, qui Feudum pro liberis dedere, vel acquisivere jam natos exclusisse. *Finckelth. disp. 6. contr. 10. Hugo Grotius de J. B. ac Pac. L. c. Conf. Maur. D. 9. p. 3.* ubi varias hac de re sententias recenset.

XLI. Si primogenitus ante patrem decesserit, filius ex primogenito natus præferendus est secundo genito. *Finckelth. d. l. contr. 11.* Ubi multis rationibus hoc assertum confirmat: id quod ratione Electorum peculiariter statutum in Aurea Bulla tit. 7. Quæ res minus dubii habet, si Feudum ad primogenitum jam fuit ipso actu devolutum, ex cuius linea non exit, usque dum successor ex ea non adsit. *Conf. Goldast. de jure represent. in primogenitur à Imperii German.*

XLII. Si primogenitus inhabilis est, ad successionem non admittitur, sed ad proximum ista defertur, *argum. eorum, quæ supra 6. dicta.* Quæ decisio & *A. B. tit. 25. probatur.* Quod si vero superveniat inhabilitas, non ideo privandus erit Feudo, sed Curator vel administrator ipsi dandus erit. *Limn. ad A. B. d. 1.*

XLIII. Jus Primogenituræ primogenito invito auferri nequit; posse tamen ipsum juri suo renunciare, nulli dubitamus. *a. l. pen. C. de Pactis.* ubi *Da.* Illustre Exemplum hujus renunciationis

in Serenissima Familia Brandenburgica extitit, quando Fridericus I. primogenitum Johannem oneri illi, quod Electori incumbit, minus aptum arbitratus bonis rationibus effecit, ut jure suo cederet patere-turque, ut Electoralis dignitas in secundo-genitum Fridericum transferretur. Qua de re legi potest *Aeneas Sylvius sub Friderico III. c. 3. Philipp. Melanchthon in Chronicis.* Dubium circa hanc renun-ciationem movere videtur locus apud Autorem Epistolæ ad Hebræ-os XII, 16. ubi notatur Esavus, & βέβηλας, profanus dicitur, ὅς ἀνὴρ βρώσις & μὴς ἀπέδοτο τὴν πρωτογονίαν αὐτῆς. Quam varie dissen-tiant D. Theologi, etiam nostrates, circa interpretationem hujus loci, Commentarii testantur abunde: quorum tradita referre nostrum non est. Quicquid vero illorum sit, haud negamus insignem animi levitatem arguere, si quis se ipsum sine justa causa egregio illo benefi-cio, quo Deus & natura beavit, non dubitet privare. Conf. potest *Gro-tius, Polus, Schmidius & B. Calovius noster ad d. l.*

XLIV. Qui Jus primogenituræ cum Majoratu confundunt, fallunt, & falluntur. Scilicet jus primogenituræ lineam primogenitam respicit, atque neminem ex alia linea admittit, quousque ex linea pri-mogenita quis superfit; Majoratus verò totam Familiam respicit, ita ut qui senior sit totius Familiæ, potior sit in successione. Est etiam, ubi jus primogenituræ cum Majoratu conjungitur, ita nempe, ut ille, qui in linea primogenita est ætate major, omnibus præferatur. *Jacob. à Saa de Primogenitura n. 48. Goldastus de Majoratu lib. 2. c. 5. Melch. Pelaez à Merez de Major. & Mel. Hispan.*

XLV. Jus repræsentationis inter descendentes Vasalli sine du-bio habet locum, ita, ut nepotes vel ulterioris gradus in stirpes simul cum filiis succedant, sive etiam sint soli. *Cap. un. I. F. 8. & I. F. 14. Novell. 18. c. 1.* Quod jus repræsentationis in infinitum usque hic habet lo-cum. *I. F. 1. §. hoc quoque I. F. 8. juncto II. F. 50.* Licet pro se & filiis Feudum datum, tum ob præsumtam acquirentium intentionem, tum etiam quoniam sub filiis nepotes & omnes deinceps continentur. *L. 201. D. de Signif. Verb.* Jus Saxonicum contrarium statuere videtur. *art. 6. & 21. Lehn R.* Verum usus, qui optimus Juris interpres, vo-cabulum Sohn/ quod in dictis articulis habetur, ad natos quoque ex filio extendit, ita, ut hodie nullus Doctorum Saxonorum dubitet, juris

juris communis sententiam, quam antea asseruimus, in Saxonico Foro obtinere. *vid. Hartm. Pistor. lib. 2. qv. 19. Carpzov. p. 3. C. 29. def. 15. Schulz. Synopsin. Instit. lib. 3. de primo ordine succedentium. lit. A. & D. & Synopsin. I. F. Cap. 8. n. 33. & 35.* Sententiam istam non parum juvat locus apud *Wittichindum L. II. Ann.* ex quo patet sententiam illorum, qui filios filiorum computant inter filios pro superstitione illius ævi armis in duello fuisse defensam, reportasseque victoriam. Sic verò scribit *Corbeiensis: Rex (Otto) II. autem transiit in Bajoariam, & rebus ibi rite compositis, reversus est in Saxoniam. Dissensio autem, quæ facta est inter Everbardum & Bruningum, ad hoc pervenit, ut cædes publicæ fierent, depopulationesque agrorum agerentur, & ab incendiis nusquam abstinerent. De legum quoque varietate facta est contentio, fuereque qui dicerent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios, hereditatemque legitime cum filiis sortiri, si forte patres eorum obiissent avus superstitis. Unde exiit edictum à Rege, ut universalis populi conventio fieret apud villam, quæ dicitur Stela, factumque est, ut causa inter arbitros judicaretur debere examinari. Rex autem meliori consilio usus, noluit viros nobiles ac senes populi inhoneste tractari, sed magis rem inter gladiatores discerni jussit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios: & firmatum est, ut æqualiter cum patris hereditatem dividerent pacto sempiterno.*

XLVI. Cum post *Novell. 118.* inter suos & emancipatos nulla hodie supersit differentia quoad jus successionis; neque etiam jus feudale ad patriam potestatem respiciat, sed omnibus masculis ex Vassallo sanguinem trahentibus deferat successionem. *c. un. I. F. 13.* sequitur parem causam esse emancipatorum & suorum. *Schröd. p. 7. c. 5. Rosenth. c. 7. concl. 16.* Quod in Saxonia minus dubium habet, quia ibi emancipatio non tollit jus Agnationis. *lib. 1. art. 23. ibi Glossa Lit. O.*

XLVII. De liberis naturalibus magna inter Doctores lis est, an, & in quantum in Feuda succedere possint? Nos inhæremus verbis perpicuis. *§. Naturales. II. F. 26.* atque adeo arbitramur, naturales liberos Jure Longobardico à successione Feudali excludi, & ita quidem, ut ne matri succedant in Feudo fœminino *Isernias ad dict. §. naturales. Hartm. Pistor. p. 2. qv. 40. n. 2.* nec nati ex ejusmodi liberis licet

legitime admittantur. *Schrad. p. 7. c. 5. n. 20.* neque etiam illis pro-
fit legitimatio post natiuitatem facta: id quod clarissima verba: *licet
postea fiant legitimi*, satis innuunt. Equidem nos non fugit, hæc ver-
ba à *Cujacio II. F. 12.* aliisque ita explicari, ut scil. *post delatam successio-
nem* non profit legitimatio, bene tamen illa, quæ antea facta. Sed quis
non videt nimis violentam hancce interpretationem esse? Sanè sim-
plicitas juris Longobardici fictionem illam legitimatiõis vix admit-
tit, atque otiosa fuisset decisio, si de illis, qui post delatam successio-
nem legitimati sunt, Feudista locutus esset. Nam cum hocce casu
tempore mortis naturales inhabiles fuerint, atque sic aliis Feudi suc-
cessoribus jus jam perfectè quæsitum: sine omni dubio illud ipsis au-
ferri nequit. Quæ cum ita sint, nec legitimatos per subsequens ma-
trimonium secundum Jus commune Longobardicum admitti posse,
audacter asserimus: quamvis hocce facile largiamur, hodie in Ger-
mania, cum in omnibus pro legitimis habeantur, mitius cum illis a-
gendum esse, illos que non excludendos à successione. *Carpz. p. 3. c. 28
d. 17.* etiam si feudum concessum pro se & legitimis heredibus *Schrad.
p. 1. c. 5. num. 21. vid. Dn. Stryk. de Success. ab intest. d. l. c. 3. §. 27.* Quod
si Princeps per rescriptum indulserit jus natalium, & disertè concesserit
jus succedendi in Feuda: eatenus admitti naturales possunt, quatenus
de Feudo immediatè à Principe concessio est quæstio; nullique adsint
agnati. Potest enim tunc Princeps sibi præjudicium inferre, non a-
liis inuitis, quibus jus ex pacto quæsitum. *Dn. Struv. c. 9. th. 3. n. 9.* At-
que hinc etiam Cælaris legitimatio nil prodest illis, qui in Feudis ab
Ordinibus, vel aliis dependentibus succedere volunt, nisi adsit Domi-
norum consensus. *arg. C. Leop. §. 27.* Quoad Feuda Imperii tradit *Ill.
Dn. à Rhez. J. J. P. I. XX. §. 9.* praxin legitimatos sive per Rescriptum, sive
per subsequens matrimonium, ad illorum successionem non admis-
se: plurimi tamen Juris Germanici peritissimi, inque judiciis Imperii
versatissimi Viri contrarium docent, quorum satis amplum numerum
citatur *Dn. Itter de F. J. c. 14. §. 2.* inter quos *Rosenth. c. 6. c. 18. n. 10. Myl. Ga-
mol. c. 24. n. 2.* laudasse sufficiat. Jure Saxonico nihil peculiaris hic
obtinet. Extat quidem Constitutio D. Mauriti sub rubrica: *Von
denen aus der Ritterschafft welche Kinder auß der Ehe zeugen/
und ihr Lehngut auff sie erben wollen* &c. ex cujus contextu, si cum
rubro

rubro jungatur, satis colligi potest, Legislatorem nec legitimatos per matrimonium admittere voluisse ad successionem Feudalem: qualem legem condi posse, nulli dubitamus, quicquid dicat *Seburffius L. 2. C. 56.* Sed constitutionem istam quoad legitimatos per subsequens matrimonium usu non servari notissimum est. *Hartm. Pist. L. 2. q. 41. in fine. ubi notab. Conf. Ingolst. ad. subjungit. Carpzov. p. 3. C. 28. d. 18.*

XLIII. Qui ex sponsa natus est ante benedictionem sacerdotalem, si modo plenus consensus adfuerit matrimonialis, pro naturali habendum non esse, sic non arceri à successione feudali, arbitramur cum *Struv. c. 6. th. 3. n. 13. Dn. Stryk. de Succ. ab int. d. l. c. 2. §. 44.* licet etiam nulla sponsalia præcesserint publica, modò non aliud adsit impedimentum. *Dn. Stryk. d. l. Carpzov. p. 2. c. 14. d. 12.* Quamvis in Electoratu Saxoniae ob *Dec. 49.* publica præcise requirantur. Quæ de nato ex sponsa dicta, etiam & multò magis ad eum pertinent, qui ex uxore post nuptias ex congressu ante Evlogiam factò est editus. *a. L. 11. C. de lib. natur. & legib.*

XLIX. De legitimatis per oblationem Curiae otiosum est quæ re, cum hic modus apud nos in usu non sit. Adoptivi liberi verò, quia ex sanguine Vasalli non descendunt, nec succedere in Feudo palam est, nisi Dominus consentiat & agnati, *Carpzov. d. Feud. 5. th. 3.*


Add. post Th. XXV. Titius Vasallus Saxonicus patiebatur alienationem mentis: dabatur hanc ob causam illi Curator, & quia plures eorum concurrebant creditores, è re omnium esse putabatur, ut bona ejus aliis utenda locarentur. Aderant Cajus & Sejus proximi ex simultanea investitura successores Titii, qui petebant admitti ad conductionem: aderat & soror Titii, quæ & ipsa conducere volebat bona fratris. Quæstio hinc orta, quæ pars potior habenda sit? Cajus & Sejus reale jus urgebant, quod in Feudalibus bonis Titii ex simultanea investitura jam erat ipsis acquisitum: credibileque esse, agebant, neminem majori cura administraturum bona, quam eos, ad quos spes successionis pertineret: adhæc agnatis & simultaneè investitis jus protimiseos & retractus datum esse quoad alienationem Feudi; simile itaque Jus in locatione, conductione non male illis asseri posse:
sorori

forori è contrario nullum esse in Feudo jus, nisi quod in subsidium
 dos ex eo debeat fratre defuncto. Sed; quia tamen simultanea
 investitura nec possessionem tribuit Feudi, nec facultatem de eo di-
 sponendi vivo Vasallo possessore, incertumque erat, utrum adCajum
 & Sejum Feudum posset devolvi, cum non impossibile esset, eos ante
 Titium fato fungi: porro locatio substantiam Feudi non afficit, nec si-
 multanee investitorum juri parit præjudicium: sed solus fructus re-
 spicit, qui allodialium rerum vicem subeunt, & ad heredes Vasalli per-
 tinent; multa adhæc Feudalibus allodialia Titii bona admixta repe-
 riebantur, ad sororem post mortem fratris devolvenda: haud credi-
 tum fuit, Cajum & Sejum esse audiendos. Quibus nec jus protimi-
 feos prodesse poterat, quippe quod nemo simultaneè investitis asseruit
 unquam in locatone conductione. Neque tamen etiam sororis cau-
 sa potior visa, quæ & ipsa nullum hac parte prælationis jus poterat
 docere. Quam ob rem Dni. Scabini Wittebergenses super hac quæ-
 stione M. Martio 1669. consulti, plus offerentibus bona esse locanda
 arbitrati sunt, quam decisionem & concurrentium creditorum causa
 effragitare videbatur.

Th. XX. ad Exercit. X. pertinens. Regalia quatenus privatis pos-
 sint concedi *Exerc. 8. Th. 3. C. 14.* satis dictum. Quæcunq; ergo Regalia à
 Majestatem vel territorialem Superioritatem habente expresse possunt
 concedi, ea etiam præscriptione acquiruntur, non quidem longi aut
 longissimi temporis sed immemorialis, quippe quod vim privilegii ha-
 bet. *Capit. 36. §. Præterea. X. de V. Signif. Recessus Imperii de A. 1548. S.*
Wenn auch ein ausgezogener. §. Wo aber innerhalb Menschenz-
gedencken. Modestin. Pistoris Consil. 4. n. 32. §. 26. Goed. Conf. III. n. 8. | quæ
sententia in Foro Sax. recepta. Heigius P. 1. L. 16. n. 47. Carpzov. P. 2.
Const. 3. Def. 24. §. 25. Sed intelligenda hæc sunt de præscriptione contra
 Superiorem: nam contra privatum, si Regalia jam formata, uti DD. lo-
 quuntur, præscribantur, ordinarium tempus suffi-
 cit. *Rosenb. c. 5. concl. 17. n. 3.*








ULB Halle
005 361 702


3



VD 17







R. B. V.

IO FEUDALIS

DE

SITIONE

NTARIA, ET

E DESCENDEN-

N FEUDO.

Quam

ESIDE

NRICO HORNIO,

P.P. atq; Collegiorum

hic sunt, Adfessore,

M DC. XCIV.

rio fctorum

defendet

CH à Schirstedt,

Marchicus.



Prelo Goderitschiano.

Handwritten notes in blue ink: '1647' and some illegible scribbles.

